

*Il Dialogo (De Eloquentia dialogus) non è datato, ma lo si può considerare composto tra il 1534 e il 1539. Nel 1534 il Maioragio termina gli studi di Eloquenza a Como sotto il cugino Primo de Conti, e si porta a Milano (in casa Fagnano) per quattro anni; poi nel 1539 viene eletto (a 25 anni) pubblico professore in Milano. Sempre nel 1539 viene eletto (per un solo anno) Priore del Convento di S. Ambrogio il cistercense Angelo Appiano (seguirà una seconda elezione di un anno nel 1544).*

### **M. Antonii Maioragii de Eloquentia dialogus.**

Naturae varietas quam in rebus plurimis contemplari licet, ut in caelesti globo stellis longe diversis velut emblematis vermiculato, in toto terrarum orbe variis animalium ac plantarum generibus refertissimo, in virentium pratorum amoenitate, in variegatis florum coloribus, in magna praediorum ubertate, saepenumero torpescentem animum solet excitare. Cum enim homines qui non omnino fuerint illiberaliter educati, rerum vicissitudines ac temporum mutationes assidua mentis agitatione considerant, in admirationem maximam facile perducuntur; atque ideo fit ut rerum causas eis in mentem plerunque veniat investigare, aut saltem, ex his rebus quae ante oculos positae sunt, de caelestibus et quae nullo modo, dum vitam agimus, videri possunt, disputare.

Concesseramus [ci eravamo recati] in Ambrosianum viridarium, in quo ferunt olim Afrum illum Augustinum, Christianae reipublicae lumen ac ornamentum, ad Christi persuasionem animum inclinasse, ac ibidem, lavacro conspersum sanctissimo, pristinas vitiorum et pravae mentis sordes abluisse; ibi tum una mecum eius caenobii praeses Angelus Appianus (1), suavissimo vir ingenio (cui propter egregiam morum integritatem, vitae sanctimoniam et summam omnium liberalium artium eruditionem non facile parem invenias) aderat;

et doctissimus praeceptor meus Primus Comes cuius viri laudes non hic est animus explicare: dabitur alias (ut spero) locus eas opportunius memorandi. Etenim quis brevi posset oratione comprehendere? cura in trium linguarum classicis authoribus nihil fere possit inveniri quod ille non diligenter excusserit, nihil in liberalibus disciplinis quod non optime perceperit, nihil memoria dignum quod perfecte non edidicerit. Taceo de sanctissimis eius moribus, de vitae severitate, de continua rerum divinarum cogitatione ac locutione.

Cum igitur sub frondosa quadam arbore consedissemus et de communibus studiis aliquid dicere meditaremur, antequam quisquam inciperet, ecce Primi frater, Antonius Comes, iuvenis literarum omnium sitientissimus et omnis politioris literaturae peritissimus, mihi plusquam Pyladaea (2) necessitudine coniunctus, quippe qui studiorum similitudine detinemur et ab ineunte aetate fere semper una viximus, sub eodem praeceptore Primo meruimus [sino al 1534]; quod si nos eadem uno partu mater edidisset, non maiori possemus esse benevolentia copulati. Hunc cum vidissem, mirandum in modum sum exhilaratus: nam diebus viginti ferme non videram, qui mihi totidem annis longiores fuisse visi fuerant.

“Opportune (inquam) advenisti, frater: (nam alio nomine nunquam illum appellare soleo). Hoc erat illud quod ignota mihi causa laetabatur animus meus: praesagiebat enim te venturum”.

“Quam” inquit ille “mihi venisse iucundum est, postquam hic simul eos reperi quos omnium plurimi facio [stimus] ac maxime diligo. Servet vos omnes pariter Christus optimus maximus”.

Tunc Angelus, ut est semper, alacri vultu ac fronte modestissima: “Te ipsum” inquit “optabamus. Age, nobiscum asside ut aliquid ex studiis tuis nobis impertias”. “Quid” (inquit Antonius) “vobis impertiam, qui tantum iam labore et industria effecistis ut in doctrinis omnes quos

hactenus mihi videre contigit, equis (ut aiunt) albis longe praecedatis? (3) Me potius a vobis aliquid aequum est, tanquam a perpetuis fontibus, haurire. Ut enim arbores istae quas in hac paradiso tam pulchre comatas [*frondosi*] ac quasi ridentes aspicimus, primo quidem flores emittunt, postea vero fructus qui paulatim maturescant, nihil tamen horum per se solae faciunt sed ab omnium genitrice terra succum accipiunt ac vigorem procreandi, sic ego nunc in studiis quasi florescere mihi videor, ex quibus aliquando confido futurum ut fructus aliquid percipiam. Sed interim vestro, qui doctrina praecellitis, mihi opus est auxilio. Quod nisi fieret, tanquam terrae succo non adiuta planta, nihil, ut video, possem in literis proficere”.

Tum Angelus iocabundus; noverat [*aveva conosciuto*] enim iuvenis industriam et ardentissimum literarum studium; “An” (inquit) “sicut implumis avicula nidulo nondum evolare didicisti? Aut adhuc in natatione tibi cortice opus est? Atqui ego te Delium illum iam superasse natatorem existimabam (4), et aliorum iam posse fieri moderatorem [*guida*]”. “Non iniuria”, (inquam ego) “Angele, istam de Antonio opinionem concepisti; nam saepenumero [*ripetutamente*] mecum non mediocriter admirari soleo profectum eius in omni doctrinae genere. Nihil est enim quod ingenii acumine non penetret, studiorum assiduitate non vincat, memoriae tenacitate non comprehendat; quare siquid coram vobis recusat dicere, non illius inscitiae sed incredibili modestiae potius, qua maxime praeditus est [*è fornito*], ascribendum esse arbitror”.

Hic subridens Antonius, ac in me reiectis oculis: “Tu quidem” (inquit) “pro tua singulari et iam pridem mihi perspecta benevolentia, de me semper magnificentissime loqueris; verum ipse cognosco quam sint exiguae vires ingenii mei. Sed postquam mecum tanquam ex syngrapha [*cambiale*] pergitis [*continue a*] agere et contendere ut aliquid proferam, mihi autem quod dicam in praesentia, vestra dignum expectatione, venire in mentem penitus nihil potest, fratrem meum Primum qui et potest facere et faciet libentissime (nisi mea me fallit opinio) precabor ut me leveat hoc onere et hanc dicendi provinciam suscipiat [*prenda questa impresa di dire*]; quod obsecro, mi frater ac idem praeceptor honorande, ne recuses”.

Tum Primus cogitabundus spectare coepit ordine positas vites quae tum primum odore fragrantissimo redolentes, efflorescebant; in quincunces [*a pali, piantati in tal modo*] speciosissimos redactas arbores quae diversa quidem poma et ea nobilissima, sed tamen adhuc acerba, sustinebant, quamplurimis ac versicoloribus variegatum floribus solum, senticeta [*roveti*] purpureis ac candidissimis rosis optime circumquaque redolentia.

Nos taciti cum expectatione meditantem intuebamur [*scrutavamo*], cum ille sic locutus est:

“Equidem [*davvero*], Antoni frater, iucundissime, siquid esset inter nos de pietatis [*religiosità*] studiis disputandum, dicerem aliquid libentissime, cum praesertim locus hic amoenissimus et haec omnia tam bene vernantia caelestis illius a Christo promissae regionis memoriam nobis sufficere videantur. Videte quam rideant omnia; quid hoc spectaculo speciosius? quid aptius ad aeternae vitae meditationem? Nam sic opinor omni tempore, sed longe praestantioribus virere floribus campos Elysios, non eos quos Asphodelo consitos (5), apud inferos beatorum sedes esse poetae fabulati sunt, sed ad quos nos qui Christum sequimur, quotidie laborantes, speramus aliquando pervenire. Itaque nobis in hac vita Deus quasi specimen quoddam dedit olim futurae beatitudinis. Videtis quam bene oleant hi caduci flores: quales fore censetis eos qui nunquam poterunt emarcescere? Quid? An non harum tam suavis odor vitium nostrum ob oculos principem Christum videtur obiicere, qui se vitem (ut est in Sacris Literis [*Gv 15*]) legatos autem suos palmites appellavit? Nam ut palmes, si viti semper adhaereat, dulcissimos potest racemos producere, sin autem [*se invece*] casu defractus fuerit, arescit ilico et ad combustionem tantum utilis est, sic homo, donec per res bene gestas [*opere buone*] capiti Christo coniunctus fuerit,

vitam in melius quotidie transigere potest, donec tandem una cum eo immortalī felicitate perfruatur; quod si forte per flagitia [*per cose disoneste*] Christum reliquerit, brevi tempore praeda fit iniquissimo Daemōni. Iam vero nonne arbores istae quae magna fructuum sarcina sunt inclinatae, nostri nos officii videntur admonere? quae primo flores emittentes, deinde fructus acerbos, quales nunc pendere videtis, sic paulatim auxiliante solo nutriunt, ut tandem ad maturitatem perducantur; ita nos eo tempore flores emittimus cum bonam animo concipimus voluntatem, fructus autem cum quae nobis a Deo commissa sunt, ea bene gerimus; hi fructus tunc maturescere dicuntur cum tales fiunt actiones nostrae ut per eas, Christi beneficio, vitam mereamur immortalē. Quare si vobis ita videtur, utar oratione qua saepe soleo, vosque ” (me appellabat et Antonium) “ad studium summae virtutis adhortabor; nisi forte quid aliud Angelo videatur”.

“Mihi vero” (inquit Angelus) “nihil posset accidere iucundius. Nam quamvis sacras quotidie literas evolvam et divorum exempla ac monumenta nos satis possent ad virtutem extimulare, tamen viva voce nihil efficacius inveniri potest, praesertim cum ab optimo viro [*Primo de Conti*] proferatur”.

“Atqui non ego te” (inquit Primus) “qui nos in hac facultate longe lateque praecedis; verum hos adolescentes qui nunc in aetatis fervore constituti sunt, ad virtutem exhortari statutum habeo. Tu, si libet, eorum quae dicentur iudex assideto [*fai da giudice*]”.

Hic cum silentio maximo nos ad audiendum ostendissemus esse praeparatos, hoc modo Primus exorsus est.

“Equidem [*davvero*] cogitanti mihi de communibus mortalium studiis, saepenumero venit in mentem non mediocriter admirari atque etiam indignari tantam esse hominum insaniam atque vecordiam [*pazzia*], ut, cum aeternam consequi gloriam ac beatitudinem quam minimo labore possint, per inertiam ac libidinem turpissimis in rebus malint tempus, hoc est rem multo preciosissimam, frustra conterere [*stracciare senza motivo*]. Cum enim mens illa sempiterna ac perfecta sapientia quam nos Deum appellamus, qui caelestia maxime procurat, deinde in terris homines et quae ad hominum utilitatem pertinent, omni mortalium generi ab ipsis statim incunabulis igniculos [*scintille*] quosdam addiderit virtutis ac beatitudinis acquirendae, quamplurimi variis animi perturbationibus ac morbis impediti ac distracti, quod a natura iusti et aequi desiderium habent, id penitus obruunt et a caeca ac temeraria animi dominatrice Cupiditate praerepti, reginam omnium bonorum Rationem conculcare [*schiacciare con i piedi, disprezzare*] non erubescunt. Neque enim quisquam vitiis inquinatus, naturam, aut fatum, aut sydera (quod nonnulli faciunt) merito potest incusare [*incolpare*], quae ut hunc ad vitia propensioem quam illum proferant, cogere tamen possunt omnino neminem; verum ut virtutum aut vitiorum viam complectatur, hoc in cuiusque situm est potestate. Non enim merito vel punirentur improbi, vel iusti praemia mererentur, si vel illi male, vel hi bene facere necessario cogerentur. Sed tamen (ut diximus) omnibus adipiscendae virtutis, ac fugiendae vitiositatis desiderium, a teneris, ut aiunt, unguiculis statim innascitur. Quis enim omnium inveniri potest tam angusti animi, tamque parvi, quem si roges, An beatus esse velit, non illico respondeat; Id se vel maxime cupere? Praeterea Virtutis nomen ac Probitatis etiam apud improbissimos sanctissimum est, ac maxime venerabile. Nam quis est adeo perditus, qui, se probum ac virtute praeditum [*dotato*] appellari, non vehementissime gaudeat? Adde, quod etiam saepenumero digladiari [*combattere aspramente*] solent improbi si quis eos audeat bonos viros esse denegare [*negare*]. Planum igitur ac manifestum est hoc virtutis ac felicitatis desiderium nobis a natura Dei beneficio traditum esse. Cur ergo, dicet aliquis! tam pauci sunt qui virtutem amplexentur? Cur viam quae potest ad beatitudinem perducere plurimi non sequuntur? Quia cupiditatibus illaqueati, non ita corpus afficiunt ut obedire consilio rationique possit, et cum meliora, tanquam ea quae oculis cernuntur, aspiciant ac laudent, tamen quoniam appetitum rationi

non subiiciunt, deteriora consecretantur; nonnulli etiam adeo rudes et in bonis lusciosi [miopi] inveniuntur, ut, cum optima sequi cupiant, bonum ac malum internoscere non valeant, atque ita fit ut pro bonis pessima complectantur. Sunt qui maxime divitiis inhiantes sperent futurum ut, cum amplissimas possessiones et incommemorandam pecuniam adepti fuerint, bene beateque vitam agant; sed nunquam eos explere videmus cupiditatis sitim, at potius continenter plura conqui- rentes, maiora semper appetentes, plurima congerere studentes, aspiciamus. Nam (ut optime dixit Aquinas Poëta (6 [*Giovenale, Satira 14*]))

“Crëscit amòr nummì, quantum\_ìpsa pecùnia crëscit”.

Hoc accedit etiam avaris incommodi, quo minus possint ad virtutem aspirare, quod divitiarum cupiditate captus animus confestim evilescit. Cum enim auræ divinæ particula quaedam sit animus noster, sublimis et erectus, caelestia tantum ac immortalia meditari concupiscit, ad eam gestiens beatitudinem ad quam destinatus est aliquando pervenire; cum vero pecuniarum illecebris illectus eis inhiare coeperit, nihil magnificum potest, nihil praeclarum cogitare, nihil quod ad honestatem spectare videatur; nec alia de causa toties in sacris literis divites improbantur ab aeterna foelicitate repelluntur. Quare nihil esse credatis honestius, nihil magnificentius quam divitias contemnere [*disprezzare le ricchezze*].

Sed existunt etiam qui, facile contemptis pecuniis, honore sperent ac gloria futurum ut immortalitatem consequantur. Quo fit ut quicquid agant ac meditentur, id ipsum totum popularis tantum auræ captandae gratia facere videantur; quod quam sit inane ac indignum homine christiano, non dubito quin intelligatis. Neque enim fieri potest, ait Chrisostomus, ut qui gloriae dulcedine capitur, magnum aliquid aut egregium sapiat. Hoc illud est quod tantopere Christus insectatur ut popularis gloriae cupido [*contro il popolare desiderio di gloria*] neget se pro benefactis mercedem ullam donaturum. Quapropter hoc etiam vitium eum oportet eradere qui velit ad summam illam foelicitatem ascendere.

Maxime vero omnium impedimento est virtutum (ut ita dicam) candidatis, voluptatis illecebra [*l' adescamento della volontà*]: quae ita quos semel coepit illaqueat ut, tanquam improbissima syren, eos confestim deturbet in turpitudinis barathrum. Haec a vobis praeter omnia caetera, studiosi discipuli, summopere cavenda est, ista praesertim aetate quae maxime vicina lapsibus est; sanguinis enim fervore compulsa adolescentia ad varias facillime cupiditates inflammatur. Sed iam pridem vos, ut spero, pestem hanc animorum repudiastis. Cogitatis enim quantopere virtutis sit inimica: nam quid virtuti potest inimicius inveniri quam quod omnem tollit honestatem? Quid inter appetentem voluptatis hominem ac teterrimam interesse belluam existimatis? “Tu quum tibi Deus, (inquit Cicero) sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, Natura dederit animum, quo nihil est praestantius neque divinius, sic te ipse abiicies atque prosternes ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes interesse? (7)’

Haec audiant vitiis excaecati qui summum bonum voluptate metiuntur. Vos vero qui iam ex animis vestris hacc impedimenta summovistis, de his rebus nihil opus est amplius admonere; verum agite, quod coepistis iter fausto pede perficite. Iacta sunt praeclara beatitudinis fundamenta; iam quod difficillimum esse solet estis executi, siquidem [*poiché*] Principium totius esse dimidium etiam proverbio dicitur [*cfr. Erasmo, Adagia, II, II, 39: Principium dimidium totius; il Principio è la metà del tutto*]. Iam, relictis vitiis, virtutum studia coepistis amplexari, magnam de vobis amicis omnibus expectationem concitastis. Illud cogitate: vobis alterutrum omnino esse necesse, aut cum summa laude et utilitate progrediendum, aut cum summo dedecore et infamia retrocedendum; quorum alterum vestrum est, animi magnitudine praestantium, alterum ignavorum, animi mollicie desperantium, quos pro fragilissimo voluptatis vitro, multo praeciosissimas aeternitatis margaritas

non piget amittere. Difficilis est et ardua virtutis via, sed honesta solent esse difficilia; quod enim expositum est omnibus ut vel ab ignavissimo quoque possit apprehendi, quis id audeat honestum appellare? At vero quod laudabile et cum utilitate coniunctum, quamvis maxime sit arduum ac difficillimum, id generosis animis etiam facillimum videri solet, qui nullum laborem pertimescunt, sed amplissima sibi proponunt praemia quae consequantur, laudem, decus, immortalitatem. Virtus enim (ait Philosophus) (8) radices habere videtur amaras, sed fructus affert suavissimos.

Istam, quam elegistis, vitam optimam, mihi credite [*credete a me*], iocundissimam paulatim reddet consuetudo nec vero labore aut difficultate, tanquam tempestate, repelli vos sinatis. Quin potius illud considerate: si tanta patiuntur mercatores pericula, si non horrescunt fluctibus turgidum mare, si per saxa, per ignes non trepidantes irruunt, ignotas adeunt regiones, fortunae vitam exponunt ut brevi perituras divitias affatim congerant, si vigilant artifices totas plerunque noctes, quanto vos studio convenit eas acquirere divitias quae nunquam poterunt interire? Facite vobis ob oculos continue versentur tot heroes praeclarissimi qui laboribus [*con le fatiche*] sibi iter in caelum aperuerunt et hic etiam insignem sibi gloriam pepererunt. Quanquam nolo vobis, ut paulo ante monui, tanquam scopum mundanam gloriam proponatis: quid enim inanius? Sed tamen si virtutem summo studio ac diligentia complexi fueritis, ingens etiam gloria sponte sua subsequetur. Non enim credendum est sibi gloriam hanc proposuisse sanctos illos Hieronymum [*S. Girolamo Dottore*], Augustinum, Ambrosium, innumerabiles alios, sed ipsam tantum honestatem ac Christi vitam imitandam; tamen de eorum fama nulla unquam aetas conticescet. Hoc enim ita sapientissimo cuique solet accidere, ut quanto magis gloriam spreverit, tanto magis illa cumulatio redeat.

Quare summum illum vobis scopum proponite Christum: ab hoc omne principium, ad hunc omnem actionum vestrarum exitum referatis. De hoc noctes atque dies cogitetis. Huius vitam, mortem, gloriam animo continenter evolvatis. Sacrosanctam Evangelii legem ac divinos omnes libros

nocturnam versate manum, versate diurnam (9).

Non enim fieri potest, (inquit ille vere aureus Chrisostomus) ut qui frequenter divinis vacat, is miseram agat vitam. Omnia vobis caetera sordeant prae his quae ad Christum pertinent. Ita fiet ut aliquando quam optatis foelicitatem acquiratis immortalem et ab optimo quoque viro maximam reportetis et laudationem et gloriam”.

Haec cum dixisset Primus, paulisper habitum est silentium. Tum Angelus:

“Plane mihi, Prime, videris (inquit) optimos imitatus medicos qui, morborum causas perscrutati, pharmacis prius eas conantur evellere quam facientes sanitatem medicinas adhibeant: quis enim unquam valetudinem ut recuperet sperare potest nisi prius morbi causam de venis fugaverit? Ita virtutis viam ingredi penitus nemo potest qui non ante pravas ab animo cupiditates eraserit. Quid porro virtuti potest inimicius inveniri quam tria illa quae modo vitia numerasti: divitiarum sitis, voluptatis illecebra, gloriae cupiditas? Neque enim ullo modo fieri potest ut qui trium horum aliquo vitiorum irretitus sit, minimam virtutis partem possit acquirere. Quod si quis ab his omnino se potuerit expedire, maximum is ad virtutem gradum iam se fecisse certum habeat.

Sed illud sane etiam a te expectabam, ut aliquid de literarum studiis ac maxime de eloquentia diceres. Hos enim adolescentes in hac parte totis viribus ut aliquando fiant eloquentes, insudare video. Qui plane [*sicuramente*] mihi videtur labor esse supervacaneus [*accessorio*]; cur autem ita videatur, dicam postea, si prius hac de re sententiam tuam audivero; quare, cum alia multa dixeris, hoc etiam explicandum est a te ut hi sciant adolescentes quid hac in re sibi faciendum esse

videatur”.

Hic arridens [*sorridendo*] Primus: “Scio” (inquit) quam rem agas, Angele: cupis me ad hoc, ut aliquid de eloquentia disseram, impellere, quo illa ipsa, quam te non probare dicis, eloquentia rationes meas omnes et argumenta quibus eam probavero, convincas. Nullum enim adhuc [*finora*] te vehementiorem in dicendo cognovi neque ad refellendum [*ribattere*] acutiorem. Sed tamen, quoniam ita velle videris, dicam sententiam meam. Tu siquid contra dixeris, ipsa tamen per se suum fulgorem explicabit. Non enim ullo modo eloquentiam sine eloquentia potes improbare [*rigettare*]. Vos autem (me appellabat et Antonium) pergite porro [*continue avanti*] sicuti coepistis, totis viribus ad eloquentiam incumbere, quae rerum omnium (divina semper excipio) sine controversia praestantissima est, nec vos quasi tumultuantes de gradu deiiciat siquid Angelus contra dixerit; quin potius ita colligite. Ex omnibus rebus id excellentissimum ac praestantissimum existimandum est quod meliorem nostri partem, hoc est animum, ornare et expolire potest, quodque in admirationem homines adducere solet et maximam plurimis utilitatem reportare. Doctrinas enim ac artes liberales et denique virtutes omnes hac de causa complectimur, quod illis humanus animus maxime poliatur. Quid gemmas, uniones, chrysolithos, adamantes et caeteras omnes? Num alio nomine praeciosae sunt nisi quod eas homines soleant admirari? Iam vero argentum et aurum ob id tantum plurimi penditur, propterea quod humanis usibus et conventionibus, emptionibus ac venditionibus aptissimum esse videatur. Nullum autem animi maius ornamentum culto ac prudenti sermone potest inveniri, nihil quod maiorem possit admirationem concitare, nihil denique quod utilius sit humano generi reperitur.

Quid enim pulchrius quam aliquem existere hominem qui caeteros ea re praecedat qua sola caeteris animantibus homines antecellunt? Quid honestius aut decentius quam ita sermonem posse temperare ut nihil non concinne, prudenter ac ornate dicere videaris, nihil humile ac sordidum, sed omnia nobilia ac splendida? Quid admirabilius quam mentes audientium quocumque volueris oratione posse convertere? Cum omnes fere loqui sciant, ipse solus ita loquaris ut caeteri nihil omnino scire videantur? Ut suspensos ita teneas auditorum animos et attonitos ut, vel invites, pedibus in sententiam tuam cogas discedere? Age porro, quid utilius eloquentia? Quid liberalius? Qua feruntur patrocina supplicibus, excitantur afflicti, datur miseris salus, rei periculis liberantur, civitates optime gubernantur, sedantur plebis seditioes ac discordiae, ad sacrarum cultum religionum populi pertrahuntur. Quare si quod animi nostri magnum est ornamentum quodque in admirationem ducit universos homines et quod utilitatem solet afferre plurimam, id omnium est praestantissimum, eloquentiam autem et ornamentum animi non mediocre et magnopere mirabilem et utilissimam esse probavimus [*abbiamo provato*], nemini dubium esse potest quin eloquentia sit omnium praestantissima”. Quae cum dixisset, finem ille.

Angelus autem: “Nae [*ne*] tu (inquit) astute mecum agis; qui prius, ne verbis meis fidem habeant, hos alienare velis quam ex me quicquam audierint. Deinde cum tuam tantum de eloquentia sententiam postulassem, ipse nobis argumentis vel potius praestigiis quibusdam oculorum aciem ita praestrinxisti ut vile plumbum in aurum purum putum [*schietto*], quod vocant, immutare videreris. Sed iam mutua talione [*talio, onis, f.*] tecum agam, non quidem quod ut verum occultare velim, quod tu fecisse mihi videris, sed magis ut, detectis insiolis, ipsa per se veritas elucescat. Verum iam aperto Marte congregiendum. Possem equidem te plumbeo statim (quod aiunt) gladio iugulare (10); sed aperienda prius est sententia mea. Siquid esset quod ad bene beateque vivendum homini christiano maxima dicendi facultas studio comparata prodesse posset, nunquam profecto committerem ut eam non maxime comprobarem; quid enim impudentius dici aut fingi potest quam id condemnare quod nostrae persuasioni ac religioni sit non solum accommodatum, sed etiam utilissimum? Sed cum videam ex eloquentiae studio non solum nullam christianis utilitatem, sed etiam damnum maximum proficisci, quid est quod huic studio multam operam impendendam esse

existimem? aut potius cur summopere non improbem? Quid enim damnosius accidere potest quam, relictis gravioribus studiis, inani tantum verborum farragini perdiscendae bonas horas consumere? Cum praesertim [*specialmente*] Christus ipse, nostrae religionis author, suis legibus sancitum esse voluerit ne multum loquamur, propterea quod in multa locutione crimen aliquod semper incidere posse videatur. Nos autem supervacanei sermonis vitium, quod omnes fere mortales occupavit, non solum pro virili non conamur aliqua ex parte resecare, sed etiam, si diis placet, loquacitatem nostram studiis adiuvamus.

Nam quod ais esse mirabilem eloquentiam quod attonitos reddat audientes, idem de schenobate [*funanbolo*] aut praestigiatore aut etiam circulatore [*che porta qua e là*] quovis dici potest, neque tamen iccirco tale genus hominum praestantissimum esse dicitur. Quod vero disputas eloquentia reos liberari, civitates gubernari, populos ad religionem trahi, speciosius mihi dixisse videris quam quod ita sit. Nam quis id primum tibi concedat eo nomine utilem esse eloquentiam quod reos a periculis liberet? Qui si mali sint, num utile tibi videtur eos liberare? Sin autem boni nonne potius innocentia tecti liberabuntur quam cuiusquam eloquentia? Quis Susannam illam Hebraeam falsa criminatione liberavit? An non (si quid Ambrosio credimus) sua taciturnitas? Quae si voluisset oratorem conducere qui se defenderet, nequaquam visa fuisset (ut erat) innocens. Quid Socratem illum, Apollinis iudicio sapientissimum, commemorem? Cui, cum esset in carcere, facundissimus orator Lysias orationem attulisse dicitur, qua videbatur illum inique accusatum eripere posse: maluit homo sapientissimus iniuste condemnari, quam eloquentiae praesidio liberari. Quod si innocentes, sed maleficos, eloquentia defendit, cum illi nihil sibi conscii non timeant, hi vero scelerum conscientia stimulati patrocinium quaerant, non solum non utilis est eloquentia, sed etiam damnosissima quippe quae defendat quos oppressos oportuit.

Quod autem dicis eloquentia civitates gubernari, id mihi magis disputandi gratia quam quod ita sentias dixisse videris. Neque enim te ignorare arbitror optimis legibus et virorum prudentia regi civitates, non eloquentia, quae multo frequentius nocere quam prodesse civitatibus invenitur. Quis enim ignorat quantum tumultus in re publica romana duorum Gracchorum eloquentia concitarit? Quantum item Saturnini? Quantum apud Athenienses Pisitrati? (11)

Illud nullo modo tolerandum quod ais populos ad religionem eloquentia trahi [*Non è vero che l' Eloquenza attira i popoli alla Religione*]. Quenam est ista quam praedicat eloquentia? Num ea quam in Sacris Literis invenimus? Quis ignorat ex sacris libris expulsam esse eloquentiam tanquam inutilem? Aut eam dicis qua se gloriatur Corinthios [*I Cor 2*] lucrificasse Paulus? cum ait: "Cum venirem ad vos, fratres, non veniebam cum eminentia sermonis aut sapientiae, annuncians vobis testimonium Dei". Et paulo post: "Sermo meus et praedicatio mea non erat in persuasoriis humanae sapientiae verbis sed in ostensione spiritus ac potentiae, ut fides vestra non sit, in sapientia hominum, sed in potentia Dei" (12). Quid? Hic videtur tibi Paulus eloquentiam laudare? ac non potius repellere? Non igitur eloquentia est quae trahit ad religionem homines, sed ostensio Spiritus et Evangelii nunciatio. Nam quod ais animi nostri maximum esse ornamentum plausibilem eloquentiam, id ego semper constantissime pernegabo. Neque unquam praeter virtutem ac honestam vitam humanae mentis ulla esse ornamenta existimabo, neque quicquam expetendum praeter religionem et unius Dei per sacras literas, ubi nulla est eloquentia, cognitionem. Quid enim expetendum quod non sit utile? Porro quid utile quod non idem sit honestum homini christiano? Atqui nullus id honestum existimabit quod etiam improbissimo cuique possit esse commune; eloquentia autem eiusmodi est ut etiam homo pessimus eam habere possit. Non igitur erit honesta eloquentia; quodsi non honesta, neque utilis; si vero non utilis, non solum non expetenda, sed etiam fugienda esse videbitur. Quod autem fugiendum est perniciosum sit necesse est. Quare non solum eloquentia non praestantissima, quod tu conclusisti non optime, sed etiam perniciosissima christiano viro iudicanda est".

Haec cum dixisset, nos taciti quid ad haec esset obiecturus Primus expectabamus.

Cum ille: “Si te scirem (inquit) Angele, similem verbis animi sententiam etiam habere, summopere te hortarer ut de opinione tam sinistra decederes; vel si nolles audire, tibi notam ingratitude inurerem, qui, cum tantum debeas eloquentiae quantum hoc tempore vel nulli vel fortasse paucissimi, tamen eam suis ipsius telis auderes insectari. Sed cum haec disserendi gratia, primoribus tantum labris, non ex animo te dixisse non ignorem, nihil de te aut ingratitude tua dicam; ipsam tantum eloquentiam obiecto clypeo [*messo davanti lo scudo*] protegere conabor ac defendere; tu vero tuis argumentis aerem verberasse videberis. Primum igitur tua dicta tentabo refellere, deinde quae causae meae confirmandae proderunt, ea nitar ut in medium conferam.

Atque ut hinc potissimum incipiam, quid illo Sorite [*argomentazione*] vitiosius, quem tanquam validissimum in peroratione tibi conservaras? Equidem [*davvero*] prima auditione non mediocriter confusus sum mihi que audire videbar inexplicabiles Chrysippi [*filosofo stoico*] ceratinas [*sillogismi cornuti o disgiuntivi, detti anche sofismi dell' ambiguità*] aut crocodilinas [*i sofismi del coccodrillo*] (14); sed postquam diligentius introspexi, nihil unquam mihi visum est inanium. Nam sic opinor collegisti: nihil utile quod idem non etiam honestum, nihil honestum quod improbo possit esse commune. Haec effata tibi facile concesserim, quanquam prius illud non multis est probabile. Sed videamus quid his subiungatur: eloquentia eiusmodi est ut etiam homo pessimus eam habere possit. Quid ais, Angele? Vide ne parum dialectici sit hominis rerum definitiones aut ignorare aut cognitae non considerare. Homo pessimus eloquentiam habere potest? An ignoras idem esse ac si diceres: “Stultissimus potest esse sapientissimus”? Nam quid aliud est eloquentia quam copiose loquens sapientia? (15) Quid aliud orator quam vir bonus dicendi peritus? Num pravus homo sapiens aut bonus esse potest? Quis hoc sanae mentis audeat dicere? Atqui tu, vel nescius vel forte etiam prudens, hoc conclusisti. Nam quisquis eloquens est is etiam sapiens ac vir bonus sit necesse est, siquidem eloquentia est sapientia et orator vir bonus. Porro [*inoltre*] si pravus est eloquens, idem etiam erit sapiens et bonus? Quod nullo modo fieri posse quis ignorat? Neque igitur homini malo contingere potest eloquentia. Quo sublato, videsne quam cito causa cecideris? Sed haec agenda videntur explanatus.

Multum interest, Angele, quid esse putes eloquentiam; nam si verborum tantum inanem (ut inquisti) farraginem illam existimas, recte quidem improbas, sed plurimum videlicet erras in finitione. Sin autem (ut opinor) persuasum habes eloquentiam maius quiddam esse quam verborum farraginem, neque omnino sine rerum plurimarum, et divinarum et humanarum, cognitione hominem aliquem eloquentem esse posse, quid te facere dicam cum rem tam laudabilem vituperas, nisi pessime? Nam quod ais non oportere dimitti studia graviora, quae sunt tandem ista graviora studia, aut quid est quod incumbamus studiis nisi ut eloquentiam augeamus et ut, multis collectis rationibus, nobis ipsis ad bene beateque vivendum et aliis quamplurimis auxilio esse possimus? Quid enim quis discit quod non, cum perceperit, quam maxime cupiat propalare? Hoc enim omnibus natura comparatum est, ut scire desiderent et quae sciunt alios docere velint; quod cum faciunt, quis est qui non cupiat se quam optime dicere? Huc igitur studia diriguntur et hac tantum de causa studemus, ut esse possimus eloquentes; nihil enim aut parum prodest occulta doctrina. Nullum igitur eloquentiae studio gravius inveniri potest.

Sed Christus (inquis) nobis iussit ut pauca loqueremur. Undenam (quaeso te) sumis, hoc in Eloquentiam esse dictum? Cave ne cum eloquentes inimicos habere velis, etiam theologos irritassis si male torseris Evangelia. Non enim tibi par erit proelium, quanquam plurimum etiam in ea facultate valeas; sed si te semel oppresserint Scotizantes (16), ex illis tenebrosis laqueis non ita facile te poteris extricare; iam vero contra Thomistarum (17) et Occamistarum (18) vociferationes



nihil tibi proderit ista tua tam admirabilis scientia. Sed redeat unde aberravit oratio. Christus ibi longas Ethnicorum preces vituperat quibus, quod optabant, a Deo se impetrare posse confidebant; tu vero scilicet novus interpret, Christi verba torques in eloquentiam. Nam si malum est loqui, cur non perpetuo tacemus? Si vero bonum, cur, cum id facimus, non conamur ut quam optime faciamus? Sic enim fieret ut loquacitatis vitium, quod (ut vere dicis) omnes fere mortales occupavit, excideremus, et politissimo sermone simul et utilissimo ea tantum quae probanda sunt diceremus.

Quam vero belle [*opportunamente*] de schenobate [*funanbolo*] aut praestigiatore lusisti, perinde quasi quicquam schenobates ad orationem pertineat aut haec similitudo non toto (quod aiunt) diametro dissideat [*è lontano*!]! Mihi vero visus es, cum quid contra diceres non haberes, studio tamen contradicendi tam absurdam finxisse similitudinem. Quid enim habet simile funambulus cum eloquentia? Cum ille quamvis ridicula quaedam et quae mirabilia videantur efficiat, tamen nec sibi nec aliis utilis, ab omnibus vilipenditur et lusus tantum gratia spectatur. Haec autem ita rapit et immutat hominum mentes, ita vel invitae cogit ad utilissima quaeque, ut plane divina esse videatur. Nec fieri potest ut, cum quis eloquentem semel audierit, eum non maximopere suspiciat et maius quiddam in eo quam in homine veneretur. Quenam seditio tanta inter ferocissimas gentes potest exoriri quam, si supervenerit eloquens, non ilico sedare possit et pacem inter inimicos conciliare? Et quid seditione vulgi truculentius? Menenius Agrippa fabula tantum eloquenter recitata et sapienter interpretata iratam plebem patribus conciliavit (13): quanto id facilius effecisset si fontes eloquentiae penetrasset? Quid, cum ad Demosthenis et Aeschinis contentionem ex tota Graecia concursus fieret? Num eos qui concurrerunt Graecos tanquam ad praestigiatores spectandos convenisse censes? Aut cum ex ultimis orbis terrarum regionibus ad Patavinum Livium audiendum quidam veniebant, nonne tibi videntur eius eloquentiam, non tanquam rem inanem (ut tu appellas) sed tanquam valde mirabilem ac prope divinam fuisse admiratos?

Sed haec quae ex tuo dixisti, ut sunt levia, ita facile refelluntur; illud potius aliquam rationi meae difficultatem, quod ex Paulo recitasti, videtur afferre; nam de Susanna ac Socrate postea videbimus. Sed tamen hoc etiam quod ait Paulus facillimum est amoliri, cum non eloquentiam vituperet, sed ei tantum ostensionem Spiritus ac Dei potentiam praeponere videatur. Illis enim Ecclesiae nascentis primordis magis erant, fateor, necessaria miracula cum, ut deorum cultum ac maiorum suorum religionem penitus imbibitam immutarent, non sola potuissent homines eloquentiae persuasionem compelli, nisi miracula etiam accessissent quae divinum illud opus esse, non humanum declararent. Sed posteaquam ad Christum versi fuerant, tunc necessaria fuit etiam eloquentia quae debiliorem et infirmorum animos quotidie confirmaret, desides excitaret, errantes corrigeret, ferventes magis accenderet.

Unde videmus etiam quanta scripserit arte Paulus quem tu fingis eloquentiam damnare cum ipse sit eloquentissimus; cuius rei, praeterquam quod eius Epistolae declarant, testis est etiam Augustinus qui rerum ac verborum exornationes ac eloquentiae nervos in eius scriptis conatur ostendere. Quare, non eo modo quo tu censes ea verba Pauli quae modo recitasti sunt interpretanda ut credamus eum, qua summopere praeditus erat, eloquentiam condemnare. Sed cum ad Corinthios scribat qui a prophetis falsis plurimi seducebantur, eis tantum artificiose in memoriam Spiritus ostensionem ac miracula reducit, ut meminerint se, non tantum Pauli verbis quantum Evangelii virtute ac miraculis, Christi fidem accepisse.

Neque vero ex Sacris Literis (ut ais) expulsa est eloquentia; imo vero magis credibile est ab eis principium habuisse, deinde paulatim hominum sapientissimorum studiis accrevisse. Non enim fieri potest ut res tam divina aliunde quam a divinis literis principium sumpserit, cum praesertim

plurimas in sacris Bibliis orationes videamus quas certo scimus esse in hebraeo sermone disertissimas et quae etiam apud nos speciem quandam prae se ferunt elegantiae. Illos vero quos prophetas appellamus, quorum ego eloquentiam cum eorum scripta hebraice lego maiorem in modum suspicio, nihil aliud fuisse credendum est quam oratores facundissimos quos Deus e multis eligebat ut essent qui populum ad religionem pertraherent.

Horum unus Daniel cum innocentem Susannam ad supplicium duci videret, eam eloquentia sua liberavit, et quanquam (ut ais Ambrosio placere) taciturnitate innocentiam suam testaretur, tamen nisi Dei monitu vox Danielis affuisset, nihil omnino fuisset impedimento quo minus de illa supplicium indignissimum sumeretur. Socrates autem (inquis) perire maluit quam oratione Lysiae liberari. Sit ita sane. Num ideo damnavit eloquentiam Socrates? Illam sibi orationem, quod forte parum eloquens videretur, non viro dignam videri dixit: non de eloquentia tota iudicium fecit; nisi forte credis eum qui subaeratum [*di rame internamente*] aurum spernit, obryzum [*oro di coppella, o zecchino*] etiam et purum aurum reprobare. Quid vero de Eloquentia Socrates senserit, eius discipulus Plato palam innuit qui eum ubique introducit eloquentissime disserentem quare te frustra vides haec exempla collegisse.

De Gracchis autem et Saturnino et Pisistrato nihil attinet dicere, cum illi cives seditiosissimi fuerint. Nos autem nullum eloquentem nisi eundem bonum virum esse dicimus; ut autem partem aliquam habuerint eloquentiae, non tamen ideo tanta virtus damnanda esse videbitur, neque omnino vitia pravorum hominum ad res transferenda; nam

Nòn res in vitiùm, sèd malefàcta cadùnt [*cf. Massimiano, 490 – 560 d.C., Elegiarum liber, I (sulla vecchiaia), v. 50, dove cita Catone: Non le cose cadono nel vizio, ma le malefatte*].

Quod autem legibus ac prudentia civitates gubernari, non eloquentia, tibi videri dicis, non satis ipse prudenter ac legitime (quod pace tua dixerim) ab his rebus eloquentiam separas, quas neque tu ignoras sine illa nullo modo posse consistere. Quem enim primum (ut alte repetamus) leges invenisse quibus civitates regerentur existimas, aut quem credis induxisse populos ut legibus obedire non recusarent? Num infantissimus aliquis tibi fuisse videtur, et qui nulla foret eloquentia praeditus? Quomodo ergo tam facile paruerunt ei qui nullam legum rationem, quare bonae viderentur, posset per infantiam reddere? An sponte sua rudis populus et libere vivendi cupidissimus, legibus, tanquam iugo, colla supposuit? Quin magis mihi verissimile fit eloquentissimum fuisse hominem qui, ratione reddita cur una in civitate simul habitare, legibus uti quam optimis optimum esset, oratione facundissima populorum animos ita demulserit et immutarit ut suae cogeret eos parere voluntati.

At vero postquam in una moenia convenere, regi coepere certe non minus eloquentia quam receptis legibus. Cum enim viros prudentissimos de aequitate ac iure disserentes audirent, facundia deliniti, iis quae optima videbantur, parendum esse censuerunt itaque, nisi prius eloquentia fuisset, nullas penitus (ut opinor) leges haberemus; nec vero a Prudentia, tanquam membrum a corpore, segreganda est Eloquentia. Pars enim eius esse dicitur cui literarum omnia studia tribuuntur. Quod si prudentis est amplecti studia literarum, cur tibi prudentis esse non videatur eloquentiam perdiscere quae studiorum omnium quasi lumen est et ornamentum? Quanto vero facilius et melius civitatum gubernatores populos ad iustitiam amplexandam et iniquitatem vitandam impellere possent si cum prudentia magnam quoque facundiam copularent!

Quid de Christi Praecone [*araldo di Cristo, sacerdote*] dicendum est? cui tam necessariam esse arbitror Eloquentiam quam etiam Sacrarum scientiam Literarum. Quid enim? An non videmus in theologica facultate doctissimos plerunque homines, quod facundia destituti sunt, ita frigide

concionari ut nihil omnino, quamvis plurima verba profuderint, auditorem commoveant, sed totum fere tempus inanibus quaestiunculis (quas involvisse silentio multo praestitisset) altissima vociferatione contere? Quid enim ea populo prosunt quae Scotus et eius farinae comites somniant? quibus ad religionem ne tantillum quidem accendantur, sed ea cum audierint, in divinis rebus multo tardiores efficiantur? Quanto praestantius esset eloquentiae post divinas literas totis nervis incumbere et, reiectis dialecticorum sophismatibus in quibus tanquam ad Syreneios scopulos [*scogli*] consenescent, tantam studio facundiam comparare, ut audientium mentes immutare, impellere, trahere, rapere possent ad honestatem capessendam; ut quaeque pessima vitia sunt ita maxime consecrari, improbare, profligare, exterminare, futuras improbis poenas oculis subiicere, minis perterrefacere, inferorum sedes aperire, tortiones, cruciatus, supplicia scelerum patefacere; virtutem autem, ut dignissimum est, ad caelum extollere, eius praemia, decus, immortalitatem, gloriam, beatitudinem ita dicendo prosequi ut eorum desiderio maiorem in modum auditorum mentes inflammentur, doleant, metuant, sperent, tempus sibi frustra praeteritum conquerantur, in posterum relegata cupiditatum siti, totam uni virtuti statuam operam impendere.

Quae si quis diligentissime persequatur, quantum honestatis excitabit incendium, quam mirabiles ad capessendam virtutem ignes in mortalium animis commovebit, quam facile vitia tanquam fumi vanescere videbuntur, purior virtutis flamma subsequetur. Sed me tempus deficeret si vim universam eloquentiae velim explicare. Vides (ut opinor) nisi vel videre nolis, vel Hipsaea caecior (19) effectus sis, quantopere sit utilis eloquentia. Sed me temporis angustia (video enim advesperascere) cogit esse brevior. Posthac alias nisi de ista sententia discesseris, multo longiorem et elegantior sermonem expectato”.

Hic subrisit Angelus, et:

“Praeter spem” (inquit) hodie Primum orantem ex tempore (all’ improvviso) vidimus. Quid si paratus accessisset? Quid si iterum contingat ei de Eloquentia dicere? Sed nihil opus est: iam enim in tuam sententiam pedibus discessi”.

Quibus dictis, post paulo discessimus».

Note:

(1) Angelo Appiano fu Maestro di Gramatica del Majoragio, come si raccoglie da ciò che leggesi a car. 198 e seg. Dei citati suoi libri “Reprehensionum contra Nizolium”, dove pure si fa un elogio del Padre del Conte, con dire: “in Gramaticis, atque Rhetoricis Angelum Appianum, et Primum Comitem Consobrinum meum habui praeceptores, de quibus nihil dico amplius, quam quod omnes intelligunt, viros neque doctiores, neque meliores usquam inveniri”. Altre notizie intorno all’ Appiano si possono vedere presso l’ erudito P. Abate Casati nelle sue Note alle Lettere di Francesco Ciceri nel T. I a car. 103 dove dice ancora, che fu fatto Abate di quel Monistero de’ Cisterciensi per la prima volta nel 1539 e di nuovo nel 1544.

(2) E’ celebre l’ amicizia di Pilade verso di Oreste, della quale Cicerone nel Dialogo “de Amicitia” lasciò scritto quanto siegue: “qui clamores tota cavea uper in hospitis et amici mei, M. Pacuvii, nova fabula? Cum, ignorante Rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta etc.”.

(3) “Equis albis praecedere” è un antico proverbio, usato da Orazio al principio della Satira settima del Libro primo; e significa precedere, e superare di gran lunga, o perché anticamente credevasi, che

i cavalli bianchi fossero i migliori, ed i più veloci, o perché si stimassero di migliore augurio e fortuna, o perché di essi servivansi i vincitori nel trionfo. Veggasi il libro: “Adagia quaecumque Pauli Mannuccii studio ab omnibus mendis vindicata”.

(4) “Natator Delius” chiamavasi anticamente per proverbio chi era molto esperto in qualche cosa, perché i nuotatori dell' Isola di Delo erano celebri per la loro perizia nel nuotare. Veggasi “Adagia Pauli Mannuccii”.

(5) L' Asfodelo è un' erba, della quale finge Luciano, che si cibino le ombre giù negli Elisj. Ne parla pure Omero nel Lib. XI dell' Odissea, dove dice, che nell' inferno l' anima di Achille fu veduta avviarsi lietamente pel campo di asfodelo. Di quest' erba parlasi da Plinio nel Libro XXII c. 22 della sua “Natur. Histor.” e si distinguono dai Botanici moderni varie specie della medesima.

(6) Col nome di Poeta Aquinate s' intende Giovenale nativo di Aquino (città del Regno di Napoli nella Terra di lavoro) com' egli stesso accenna alla fine della terza sua Satira.

(7) Queste parole sono prese dal primo dei Paradossi di Cicerone.

(8) Aristotile per l' eccellenza, e l' ampiezza del suo sapere venne soprannominato il Filosofo. Il Mureto nel Poema “Institutio Puerilis” applicò questa sentenza allo studio con dire: “Principio studii radix inamoena videtur, / Sed profert dulces parvo post tempore fructus”.

(9) E' ben noto essere il citato verso di Orazio nella Poetica, in proposito degli Autori Classici Greci, e qui applicato ai libri delle divine Scritture.

(10) Il Proverbio “plumbeo gladio jugulare” si trova usato da Tullio scrivendo ad Attico, e significa convincere alcuno con un argomento di poca forza. Veggasi il Manuzio nel libro citato.

(11) Tiberio Gracco, e Caio Gracco si abusarono della loro eloquenza per isconvolgere la Romana Repubblica, come si può vedere anche presso Plutarco, che ne ha scritta la Vita. Saturnino fu Tribuno della Plebe a tempo di C. Mario. Pisistrato fu Tiranno di Atene, e colla sua eloquenza superò Solone, come narra Valerio Massimo nel Lib. VIII C. 9.

(12) S. Paolo nell' Epistola prima ai Corinti, capo secondo, scrive: “io poi, quando venni a voi, o fratelli, ad annunziare la testimonianza di Cristo, venni non con sublimità di ragionamenti, o di spaienza ... e il mio parlare, e la mia predicazione fu non nelle persuasive dell' umana sapienza, ma nella manifestazione di spirito e di virtù”. Volea dire con questo il Santo Apostolo: “io non procurai di accreditare, come i sapienti del Secolo, la mia dottrina coi lumi, e con l' artificio dell' epoquenza; ma questa mia dottrina fu sostenuta dallo Spirito Santo ... e con le opere della potenza e virtù di Dio, cioè a dire con i miracoli” (Monsig. Arciv. Martini).

(13) Essendosi ribellata la plebe contro il Senato Romano, perché credevasi aggravata dalle sue leggi ed imposte, Menenio Agrippa l' indusse a sottomettersi, raccontandole la seguente favoletta: una volta le membra del corpo umano, vedendo che il ventre stava ozioso, determinarono di non più volerlo servire in cosa alcuna. Non essendo empito il ventre, tutte le membra rimasero spossate e languide. Capirono allora queste, che il ventre tramandava loro la sostanza, ed il vigore dei cibi somministrati, e tornarono perciò ad essere con lui d' accordo, ed a servirlo. Veggasi Tito Livio nel Lib. 2 ed Aurelio Vittore “de Viris illustribus”.

(14) Crisippo era Filosofo Stoico discepolo di Cleante, acutissimo Dialettico, e Scrittore di ottanta

Volumi, chiamati da Persio nella Satira sesta “una massa di cose, che non avea fine”. Le così dette “Ceratine” e “Crocodoline” erano intralciati argomenti, e sofismi, di cui facevano uso singolarmente gli Stoici, come prova Angelo Poliziano nel Capo 54 e 55 delle sue Miscellanee, dove conclude: “ex his, ut arbitrator, liquet, etiam Crocodiliten, sicuti supra Ceratiten, sophismatos esse parum explicabilis speciem, qua Dialectici veteres, potissimumque Stoici uterentur; quod genus eleganter Quintilianus (Instit. Orat. L. I C. X) exquisitas ambiguitates appellavit”.

(15) Così Tullio nel suo Dialogo “de Partitione Oratoria”.

(16) In tal modo chiamansi qui i seguaci del metodo di disputare, adoperato da Gio. Duns, chiamato lo Scoto, perché da alcuni si credette, che fosse di nazione Scozzese. Egli era dell' Ordine de' Minori di S. Francesco, fu chiamato “Doctor subtilis” per la sua sottigliezza nel disputare, e morì nel 1308 lasciando molte Opere Teologiche, come può vedersi presso Natale alessandro nella sua Storia Ecclesiastica, dove parla degli Scrittori del Secolo XIII al C. V. Art. I.

(17) Tomisti si chiamarono i seguaci della dottrina di S. Tommaso d' Aquino, contemporaneo dello Scoto, di cui abbiamo parlato.

(18) Occamisti furono detti quei, che seguirono la dottrina di Guglielmo Okam inglese, teologo dell' Ordine de' Minori di S. Francesco, che fiorì al tempo di giovanni XXII e di cui parla Natale Alessandro nel Capo suddetto nell' Art. III.

(19) Ipsea era il nome di una donna, la cui cecità era in Roma assai nota; onde ne venne il proverbio “Hypsea caecior” per significare una persona assai cieca. Orazio fece uso di questo proverbio nella Satira seconda del libro primo, e ne parla il Manuzio nell' Opera sovraccitata.